



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

XVII. Privilegia Capellanorum Communium Sanctitatis Suæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

roboratis, staturis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXXI. Julii MDCXC. Pontif. Nostri Anno Primo.

XVII. Conceduntur Privilegia Capellanis Communibus Sanctitatis Sux.

Hinc similes sunt Const. Inn. XI. ed. 1680., Mar. 13. Pont. 4. Et Inn. XII. ed. 1693, Dec. 4. Pont. ut supr. Tom. 7. pag. 238.

Dat. 2. Aug. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

GRata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joachinus Tenacciolus Presbyter Civitatis Castellæ Canonicus Collegiæ Ecclesiæ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, ac Carolus Emidius Ridolphus Afculan. Hieronymus Novarien. respective Civitatum, vel Diocesum, Joannes Dominicus Cozzardus Romanus, & Bernardinus Brusetti Venerus Presbyteri Moderni Capellæ nostræ Pontificiæ Capellani, familiares nostri Nobis, & Apostolicæ Sedi hæcenus impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ ac morum honestas, aliæque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum Testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Hinc est (quæ sequuntur vide in laudatis Constitutionibus.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die II. Aug. MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XVIII. Prohibetur, ne augeantur, vel diminuatur sine S. Sedis licentia onera solvi solita arario Hospitalis Sancti Joan. Hierosolymitani.

Concessa fuit facultas recipiendi nonnullos Magno Magistro ab Inn. XI. Const. ed. 1686, Jun. 25. Pont. 10. Et ab Inn. XII. edita fuere nonnullæ Ordinationes contra frequentem receptionem ad habitum Const. ed. 1697. Maji 11. Pont. 7.

Dat. 5. Aug. 1690. An. 1.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa Constitutionis.

CUM sicut accepimus quamplurimæ, & sane gravissimæ expensæ, quas Hospitale Sancti

Joannis Hierosolymitani, juxta laudabilia ipsius instituta, tam pro assiduis Hospitalitatis officiis in proximis exercendis, quam pro diuturnis ad Catholicæ Fidei defensionem, & propagationem, adversus Christiani nominis hostes gerendis bellis sustinere cogitur, certos ejusdem Hospitalis redditus in contributionibus, responsonibus, aliisque quovis nomine nuncupatis oneribus per Priores, Bajulivos, ac Præceptores, seu Commendatarios dicti Hospitalis communi arario ipsius Hospitalis solvi consuetis, ac dudum super Prioratibus, Bajulivatibus, & Præceptoris, seu Commendis Hospitalis præfati vigore statutorum, seu stabilimentorum, ac Ordinum Capitularium ejusdem Hospitalis auctoritate Apostolica confirmator., seu alias auctoritate præfata imposit. consistentes, longe excedant: Nos ejusdem Hospitalis indemnitari, ac simul ne majoribus oneribus Priores, Bajulivi, ac Præceptores, seu Commendatarii præfati, his præfertim calamitosos temporibus prægraventur, quantum cum Domino possumus providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne de cætero Magnus Magister, ac Conventus Fratres, Consilium, Capitulum Generale, & alia Tribunalia quæcumque, aliæque quælibet quavis præminetia, & potestate fungentes, personæ Hospitalis præfati sub quovis quæsto colore, causa, vel prætextu absque nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, Constitutiones, responsones, aliæque onera præfata super Prioratibus, Bajulivatibus, Præceptoris, seu Commendis, & aliis quibuscumque beneficiis Hospitalis prædicti, ut præfertur imposita, augere, vel diminuere, seu ut augeantur, seu diminuatur permittere, aut consentire audeant, seu præsumant sub excommunicationis lætæ sententiæ pena per contrasfacientes eo ipso absque alia declaratione incurrenda, tenore præsentium interdicens, & prohibemus. Præterea, quod de cætero contributiones, responsones, aliæque onera prædicta communi arario dicti Hospitalis, prout hæcenus observatum fuit, omnino solvi debeant, earumdem tenore præsentium statui-mus, & ordinamus.

§. 1. Mandantes propterea dilectis filiis Magno Magistro, & Consilio dicti Hospitalis, omnibusque aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut easdem præsentis literas in Cancellaria ejusdem Hospitalis recipiant, & admittant, ac registrent, recipique, & admitti, ac registrari curent, & faciant.

§. 2. Ac decernentes ipsas præsentis literas, & in eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu nostræ, aut Sedis Apostolicæ intentionis, vel quocumque alio defectu notari, redargui, impugnari, in Jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari minime posse.

§. 3. Sicque ab omnibus censeris, & per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac quæcumque dicti Hospitalis Tribunalia, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, distæque Sedis Nuntios, & quovis alios quacumque auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; salva tamen eisdem Magno Magistro, & Consilio facultate in casibus particularibus, prout æquitas, & justitia exegerint, & dummodo trium saltem ex quatuor partibus ipsius Consilii per secreta suffragia præstandus ad id accedat assensus, providendi.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, &

Prohibitio prædicta motu proprio facta sub excommunicationis pœna.

Confirmatio præsentium literarum.

Clausulæ.

Excipiuntur casus particulares.

Or-